Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1197
Quelle:
Copyright:

Subſcriptum Codici: *Explicit liber primus Sententiarum editus a fratre egidio de Roma ordinis*, reliqua eraſa et reſcriptum: *Iſte liber fuit emptus pro XVI. Florenis.*

Non videat Chriſtum qui librum ſubtrahit iſtum.

Typis editum *Venetiis* a. 1492. 1521. et 71. teſtatur *Oſſingerus* in *Biblioth. Ord.* p. 244. Sed et in reliquos III. *Libros* commentatus eſt Noſter.

DXII.

U. 315 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 275. f. max. per duas columnas luculente exaratus et coloribus illuſtris hanc in Theca praefert Notam: *Hunc librum teſtatus eſt vniuerſitati Honorabilis Vir Magiſter Johannes Geus de teynigen* (Palatinat. ſuper.) *doctor ſacre theologie, Reſeruandum tamen in Libraria Collegij ducalis quousque vniuerſitas propriam librariam habebit. Cuius animam huius libri uſum habentes deo ſinceris precibus recommendent. Qui obijt in die ſancte afre. Anno Domini* 1440. relictis quibusdam lucubrationibus, quas in his *Commentariis* recenſui, ut *Indices* docent. Jam ad ipſum Codicem. Inest ei, ut e calce adſumo: *Quartus liber ſuper ſententias editus a fratre Richardo de media uilla de ordine fratrum minorum.* Ingreditur is: *Innoua ſigna et immuta mirabilia. glorifica manum et brachium dextrum* &c. et concludit: *ſi quid tale inueniretur in libris meis quod non credo paratus eſſem humiliter retractare.* Ita habetur etiam in Edit. *Venet.* 1489. f. et pluribus aliis jam Sec. XV. curatis. Accedit *Quaeſtionum* Elenchus rurſum ſubjecto nomine Autoris, cujus *Quodlibeta* retuli *Vol.* I. P. 2. *col.* 1244. *Doctoris Solidi, Copioſi*, etiam *Fundatiſſimi* et *Autorati* Elogia tulit hic *Anglus* de *Middletown* in *Sorbona*, et circa an. 1300. vivendi finem fecit teſte *Waddingo*, *Oudino*, *Fabricio*, *Tannero*. Ejus commentaria in omnes IV. *Sententiar.* Libros totidem *Tomis* lucem videre *Brixiae* 1591. f.

DXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 173. f. per duas columnas difficili calamo ſcriptus et coloribus diſtinctus, donatusque olim inter vivos Collegio Ducali a M. *Andrea de Pottenprun* Theol. Prof. et D. *Stephani* Canonico, qui inter annos 1469—76. bis Academiae Rector praefuit, exhibet I. ut e calce adſumo, *Summam ſententie editam a fratre iacobo de loſanna quondam prouinciali francie. Sententiarum* dicendum erat; ſunt enim Strictu- U. 408 rae in omnes IV. *Petri Lombardi* Libros hoc initio: *Cupientes &c. In libro primo ſuo magiſter premittit prohemium et diuidit in quatuor partes in quarum prima ponit*